

noster, ut nostis, peregre abiit, prepositus noster¹ bone memorie obiit. Que, rogo, calamitas reliqua est, quę in excidium non coniurasse videtur nostrum? Quamobrem si tantis angustiis devotissimorum fratrum munificentia vestra subveniendum censuerit, certe si quid ad preces studiosissimas poterit addi, elaborabimus, ut hæc gubernationis vestre vela orationum nostrarum aura aspirante in votivum portum provehantur. Supplicamus etiam reverentię vestrę, ut si quid incommodi et molestie in comiteatu nostrarum navium, quę aliquantum^c tamen frumenti apportant, homines nostri acceperint, que frequens nobis in illis partibus calamitas accidit, ut tum vestrum patrocinium pro nostra spe et vestra consuetudine experiantur.

35.

Die Bamberger Vasallen an den König: entschuldigen sich, weil sie seinem Aufgebot (zum Romzug) nicht Folge leisten.

(1065 etwa Mai.)

Cod. Paris. lat. 2903 fol. 60'.

Gloriosissimo regi militia Babenbergensis animorum corporumque promptissimam devotionem.

Quod ad edictum² vestrę magnificentie non occurrimus, optativum Deum et vestram gloriam obtestamur nulla nostra id stitisse, sed necessitates gravissime, et quas nemo posset expedire, nos prohibuere. Primo quod tam brevi et angusto termino nuncium vestrum omnes fere accepimus, ut nullatenus ab homine, quod iubebatur, prestari posset. Deinde quod maxima pars contubernalium nostrorum ex provincia discesserat. Superest causa et notissima et nobis luctuosissima, quia tanta difficultas et penuria³ regionem nostram opprimerat, quod equos nostros, quorum maximus ad imperatum negotium usus esset, macies et inedia adeo confecit et deformavit, ut penitus nobis domi forisque indecori sint et inutiles. Pudet nos plura de presenti miseria dicere, sed si optare fas est, inimici glorię vestrę ea, que nos patimur,

34. ^c) aliq(ua)n(do) c.

¹) Hermann. ²) Über den Plan zum Romzug vgl. MEYER VON KNONAU 1, 401f. 424ff. ³) Vgl. n. 34; wahrscheinlich sind die beiden Briefe zusammen abgesandt worden.